



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117875**

§. 53. Epistola Fulconis ad Papam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

Sæculum IX. nus habebatur. Tum Papa profequitur:  
 A. C. 886. *Ceterum, Epistolam Imperatoris a vestra*  
Sup. Lib. *diversam invenimus. In illa enim Pho-*  
 XLVI. §. 25. *tius, vitam quietam amplexus, & Sedi*  
*Constantinopolitanae, datis literis, re-*  
*nunciassè dicitur; multum autem inter-*  
*est, abdicassè, aut ejectum fuisse. Itaque*  
*cum sententiam ferre non possimus, nisi*  
*causa plene cognita, ab adversis partibus*  
*Episcopi ad nos mittendi sunt, ut, quod*  
*Deus dederit, pronunciemus. Nam Ec-*  
*clesia Romana ceterarum omnium exem-*  
*plar est, ejusque Decreta in sempiternum*  
*manent. Orientales, elapsis demum an-*  
*nis tribus, mandato in hac Epistola con-*  
*tento, obtemperarunt.*

## §. LIII.

*Epistola Fulconis ad Papam.*

*Flod. IV. c. 1.* Interim Stephanus Papa, Marini & Ha-  
 driani Antecessorum suorum exem-  
 plum secutus, ad Fulconem Archiepis-  
 copum Remensem literas dedit, solatium  
 ferre conatus, atque Fratrem & amicum  
 blande compellans. Igitur Fulco datis  
 ad Papam Responsoriiis, profuse gratias  
 agebat, dicens, se ad Pontificem ventu-  
 rum fuisse, nisi ab Infidelibus includere-  
 tur, qui decem tantum ab urbe Remen-  
 si milliaribus distantes Parisios obside-  
 rent. Unde dispicimus, hanc Epistolam an-  
 te annum octingentesimum octogesimum  
 sex-



sextum scriptam non fuisse. His addebat Sæculum IX.  
A. C. 886.  
 Fulco; tantis calamitatibus regnum Fran-  
 ciæ jam annis octo affligi, nec tutum es-  
 se, extra munitas arces degere. Dice-  
 bat sceleratos quosdam Papæ exitium  
 machinari, seque opem fuisse laturum, si  
 temporum iniquitas permisisset, & profi-  
 tebatur, se totamque familiam suam &  
 præter alios Guidonem Ducem Spoleta-  
 num, foederatum suum, quem Papa in  
 filium adoptaverat, esse Pontifici addi-  
 ctissimos, cui ipse & Suffraganei sui novo  
 gratitudinis vinculo adstringerentur,  
 quod Papa jura Ecclesiæ Remensis con-  
 firmare vellet. Hanc Ecclesiam plus-  
 quam ceteras in Galliis omnes a Roma-  
 nis Pontificibus nullo non tempore fuis-  
 se honoratam, quæ a S. Petro Primatum  
 accepisset, cum ille S. Sixtum primum  
 Episcopum illo misisset. S. Remigium  
 ab Hormisda Papa Vicarium in Galliis  
 fuisse constitutum, quibus beneficiis olim  
 acceptis jam privilegiorum Confirmatio  
 a Maximo & Hadriano III. Pontificibus  
 concessa accederet.

Tandem rogabat Papam, ut, datis ad  
 Archiepiscopos Senonensem & Rotoma-  
 gensis Epistolis, eos urgeret ad excom-  
 municandum Ermenfredum Usurpato-  
 rem Monasterii, fundati a Rampone Ful-  
 conis fratre, qui jam prius in hac causa  
 ad



Sæculum IX. ad duos Pontifices Antecessores ipsius  
A C. 886. scripserat.

Inter alias Epistolas, quas Papa, & Archiepiscopus Remensis ad se mutuo dederunt, occurrit una Papæ non solum ad Fulconem, sed etiam Aurelianum Lugdunensem, ceterosque Galliarum Episcopos de querelis Ecclesiæ Bituricensis contra invasionem Frotarii Archiepiscopi Burdegalensis directâ. Nam Bituricenses contendebant, Joannem Papam Frotario Sedem Bituricensem tantum jure provisorio, quamdiu Burdegala a Barbaris occuparetur, concessisse. Ergo Stephanus Papa Frotarium ab Archiepiscopis ad reditum in Sedem suam compelli jubet, addita comminatione Anathematis, nisi morem gereret.

## §. LIV.

*Normanni ad portas Parisiorum.*

*Chr. de  
Norm. Gest.  
Duch. tom. 2.  
p. 527.*

† aliis Isara

Non sine causa de Normannis querebatur Fulco, nunquam enim alias penitus Franciam affligerant. Jam prius anno octingentesimo octogesimo tertio mense Octobri per Terraciam ingressi, & superata † Orsia, a Rege Carlomanno prælio victi, nihilominus usque ad Viromandos penetrarunt, atque Ecclesiam S. Quintini, & S. Mariæ Attrebatî incendunt. Deinde Somonæ ripas secuti Rege cum exercitu in fugam verso & ultra